Decani *EXON.*

CONCIO
AD
SYNODUM.

Decani EXON.

CONCIO

SYNODUM.

CONCIO
AD
SYNODUM
AB
ARCHIEPISCOPI
Commissariis Episcopis & Clero
Provinciæ Cantuariensis celebrandam
Habita

In Æde Paulina Londinensi Die Jovis 16to Februarii, MDCCXIII.

A LANCEL. BLACKBURNE, *Decano B. Petri Exon. Regiæ Majestati a Sacris.*

Jussu Commissariorum Reverendissimi Edita.

LONDINI:
Apud SAM. BUCKLEY, in *Amen-Corner*, 1714.

694.e 17
5

CONCIO

AD

SYNODUM

A B

ARCHIEPISCOPI

Commissariis Episcopis & Clero

Provinciæ Cantuariensis celebrandam

Habita

In Ædibus Paulinis London. Die Jovis 16to Februarii, MDCCXIII.

A LANCEL. BLACKBURNE, Decanus
S. Petri Exon. Regiæ Majestati a Sacris.

Jussu Commissariorum Reverendissimi Ediri.

LONDINI:

Apud Sam. Buckley, in Ædibus Gurney, 1713.

In Epiſtola Pauli Apoſtoli ad Titum Capite primo, commate quinto, ſic ſcriptum legimus.

Τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην.

Hujus Rei gratia dereliqui Te in Creta, ut quæ deſunt corrigas, & conſtituas oppidatim Presbyteros ſicut Ego Tibi Ordinavi.

COgitanti mihi, Patres in Chriſto admodum Reverendi, Voſq; Fratres Venerabiles & Reverendi, qua ratione munus hoc a Reverendiſſimo demandatum pro modulo indultæ a Domino Gratiæ abſolverem; Nulla quidem potior, aut præſentis Eccleſiæ ſtatui ac neceſſitati accommodatior viſa eſt, quam ut Epiſcopalis Dignitatis primæva Poteſtate, Onere, Dotibuſq; requiſitis palam in conſpectu poſitis, eam in Patrum animis Paſtoralem Tolerantiam & Benignitatem, eum in Filiis Honorem Obedientiam & Reverentiam, eam Officiorum mutuam Obſervantiam eodem contextu ſeu excitare ſeu confirmare contenderem; quibus utrinq; concurrentibus, Celeberrima Hæc Synodus, ſub Reginæ auſpiciis Pientiſſimæ Propitiæq; malevolorum riſu & ludibrio, quæ ex mutuis in ſacro Ordine diſſidiis moveri ſcient, non modo penitus eximatur; ſed in Hono-

rem Dei omnipotentis, in veræ Religionis incrementum, & Ecclesiæ Sanctæ Utilitatem ac Commodum, fauste procedat, feliciterque: Quod faxit Deus!

Hic unicus erit, quam modo habiturus sum, Orationis scopus, in qua, ceu receptis in Ecclesia vocibus lubens utor, ita nostrum illud, in ipso operis initio Propositum ex professo malui Exponere, quam seculari usu, prout nonnunquam moris est, id agere, ut per verborum involucra, & artificiosas Rhetoricantium ambages imparatis pedetentim obrepere videatur: ne dum, Apostolum secutus, seu Jura, seu Officia, seu requisita in Præsulibus Dotes, ea, quam Author Epistolæ sibi proposuit, methodo delineaverim; animis vestris, hinc aut inde, vel parumper excidat, quam omnium generum virtutibus Qui Ecclesiasticæ potestatis fastigium apud nos impraesentiarum occupant, Iidem simul & adornant: aut quantum Ecclesiæ Dei interest ut immortalem ejus Defensorem votis assiduis junctisque deprecemur, ne vel Idem Occupare, nisi perquam sero, desinant, vel exornare.

Et profecto, si universas Apostolatus partes perpendamus, in quantum sub se continet vel Extraordinariam Muneris Pastoralis Auctoritatem, solis Apostolis a Deo concessam, omnibus Ecclesiis cum miraculorum donis Præsidendi, personisq; suis minime superstitem; vel Ordinariam, nempe Episcopalis Officii Jus; quæ Auctoritas idoneis Successoribus in omne ævum erat committenda, quia Ecclesiarum regimini, veræq; Fidei conservandæ semper necessaria: Nullibi reperiemus Sanctum Paulum, suis in scriptis, aut Potestatis specimina, aut Curæ, qua semper premebatur, Ecclesiarum majora exhi-

buisse

bisse indicia, quam quæ per universas Hujusce, utcunque brevissimæ Epistolæ, partes passim videmus emicare.

Si Formam Regiminis Ecclesiastici postulemus; per creditam Tito Jurisdictionem edisca mus quam cito invaluerit non modo Episcopalis, verum, ut magni nominis Scriptoribus videtur, Metropolitici etiam Juris Authoritas.

Si Sacerdotum in exequendo Officio partes desideremus; En ut morum probitatem, doctrinæ sanitatem, vitam omni labe vacuam & sermoni respondentem præcipit! quoniam hoc pacto ad fidelium animos Evangelii Doctrina citius viam faciat, quam si metaphoris, fabulisq; & male affectata vorborum concinnitate, vel astute quis allaboret Auditores allicere, vel iracunde cogere.

Imo adeo minutim ad singula privatorum hominum studia descendit, ut senes, vetulæque, Juvenes, Virgineſque, Magistratus, Subditique, Domini, Servique, facile singuli ediscant Officiorum suorum debitos & designatos limites: ita ut vix aliud apprime necessarium ad vitæ iter accurate instituendum postulari videatur, quam ut hinc sumpta morum norma, & accensis ab hoc lumine facibus, nobis ipsis viam certo tramite dilucide apparere faciamus.

Sanctus itaq; Paulus, dum Tito, Discipulo suo, pariter ac in Fide Filio, regulas tradit, quæ vel Tito ipsi in Officio persequendo, vel communi Ecclesiæ bono inservirent; non modo istius aut Insulæ aut Seculi, sed omnibus cujuscunq; Temporis & Loci, Christianis ostendit, (uti par erat) quo jure fretus & ipse Leges tulerit, & qua de Causa parendi necessitatem fidelibus imposuerit, tam Apostolatus sui Authoritatem, quam Doctrinæ Veritatem præfando exhibens.

Si Authoritas poſtuletur: Ecce, Δοῦλος Θεοῦ, Ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ, quæ ſequuntur ſcribit: Si Doctrina ſpectetur; non alia eſt quam κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν θεοῦ, nimirum eadem quam ſinceri profitentur Chriſtiani; nec temere, ſive fortuito, ſed κατ' ἐπιγνωσιν ἀληθείας τὴν κατ' εὐσέβειαν, ſecundum iſtam nempe veritatis cognitionem quæ apta nata eſt pietatem promovere; nec immerito, ſi quidem ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς θεὸς, id eſt, ſpe vitæ æternæ fulciatur Dei nunquam fallentis innixa promiſſo. Hujus Fidem præ amore fecit Deus πρὸ χρόνων αἰωνίων, ob oculos autem poſuit καιροῖς ἰδίοις, tempore ſcilicet ſibi viſo maxime opportuno, in quo, pro æterna ipſius ſapientia, ſermonem ſuum ſtatuerat publici Juris fieri, humani generis gratia; Cujus *Sermonis Prædicationem* aſſerit Paulus ſibi concreditam eſſe *ex mandato Servatoris Dei atque noſtri*.

Præmiſſa in hunc modum Apoſtolici muneris Authoritate, Doctrinæque Sanitate criteriis ſupra notatis luculenter indicata, Opus inſtitutum aggreditur, cauſaſq; aperit quare Eccleſiis Cretenſibus Titum præfecerit, quaſq; ab Eo poſtulet explendas Paſtoralis Officii partes.

Apoſtolicæ Dignitatis erat, ſatente etiam Hieronymo, in adverſas partes toties advocato, poſt poſita Eccleſiarum fundamenta, Subſtitutis idoneis earum Curam demandare. Idcoq; Hic Gentium Apoſtolus in Græciam profecturus, Statum Eccleſiaſticum non potuit, brevi temporis ſpatio quo in Creta commoratus eſt, ita ordinare, quin creſcente indies fidelium numero, alia pariter ſuccreſcerent agenda; proque temporum neceſſitate, eam poſtularent Curam, quam Ipſe, alibi inſerviens, per Abſentiam, non poterat impendere.

Reliqui Te in Creta, ait Apoſtolus, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ. Quæ verba duplicem videntur ſenſum præ ſe ferre; utrumque ſane non modicas, ſeu Officii, Oneriſque, ſeu Juris Epiſcopalis, partes fortiter innuentem.

Si enim ἐπιδιορθόω, *Corrigo*, ſeu *ſupercorrigo* ſignificet: tùm proculdubio hoc velit Apoſtolus; Quod quæcunque ipſe, non per incuriam, ſed breviori temporis ſpatio impeditus, aut non omnino, aut non in totum, correxerat, Ea curæ eſſent Tito, ex vi Officii penitus emendare: apteque huic ſenſui reſpondebit, ſi τὰ λείποντα per *reliqua* exponamus.

Si autem ἐπιδιορθόω, *cum cura ordino*, exponatur; tum videtur hoc voluiſſe Apoſtolus, ut quæ propter fidelium paucitatem infantilis Eccleſiæ ſtatus, ipſo præſente, non poſtulaverat; quamprimum adultioris conditio requireret, *Titus* illa, nempe τὰ λείποντα, hoc eſt, *quæ deerant*, ſuppleret & *ordinaret*.

Et certè hanc poſteriorem verborum explicationem aſtruere videtur immediate ſequentis Præcepti propoſitum: καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, *& conſtituas oppidatim Presbyteros ſicut Ego tibi Ordinavi*. Nec enim credibile eſt Paſtorum Ordinationem Ipſum Paulum fuiſſe omnino omiſſurum; ſed potius eam fuiſſe Fidelium paucitatem, poſt recenter conditam ab Apoſtolo Eccleſiam, quæ plures ſaltem aut Epiſcopos aut Presbyteros, tunc temporis, non requiſiverit.

Verum, hic de verborum explicatione acriter inter Interpretes contenditur. Singuli enim, cui ſe quiſque dederit, Opinioni faventes, in ſubſidium cauſæ Apoſtolum expoſuerunt.

Calvinus, quique eum ſequuntur, Presbyterii fautores, aſſerunt tum hic, tum priori ad Timotheum Epiſtola, Nomen hoc πρεσβύτερος, ab ætate quidem ſumptum, honoris gratia, generaliter additum fuiſſe; proinde *Doctores Eccleſiæ*, quia Doctrina Chriſtiana regendi eſſent Chriſtiani, per *Preſbyteros* debere intelligi, qui prout ejuſdem Ordinationis habeant Delegationem, æquali jure omneſque ſingulaſque Eccleſiaſtici Officii partes licite poterint explere; Argumentum a communi verborum uſu, ut putant, confirmantes, in quantum eos Apoſtolus, hoc commate, *Presbyteros* vocet; quos, ſeptimo, nominat *Epiſcopos*.

At ex hac ſola tamen Epiſtola (neque enim Tempus pateretur, ſi aliundè deſumptis argumentis univerſam Controverſiam diſcuteremus) liquido conſtabit, in Privatæ Opinionis ſtabilimentum, potius quam ad mentem Apoſtoli, excuſam hanc fuiſſe expoſitionem.

Primo, Quia *Tito* ſoli Jus omnia vel *corrigendi*, vel *ſupplendi*, & Poteſtatem ſeu *Epiſcopos*, ſeu *Preſbyteros* conſtituendi, ſine vel minima conſentientis Presbyterii facta mentione, conceſſum legimus: Quod ſi juſtæ Presbyterorum Juriſdictioni vel tantillum detraxiſſet, procul dubio tam inique non egiſſet Apoſtolus, ut furtivo & alieno honore Titum ornaret; nec Titus ipſe, niſi de eo perperam ſentiamus, ſeipſum pateretur inſigniri.

Præterea, ſi talis fuiſſet in omnibus Eccleſiis *Paſtorum æqualitas*; conceſſa Tito hæc Authoritas propoſitum ipſius Authoritatis Finem, nempe Fidei Propagationem, & Eccleſiæ bonum certo certius impediviſſet. Fieri enim non potuit quin de Juriſdictione tam ampla multorum generum orientur

Con-

Controverſiæ a ſubditis delinquentibus (prout ad effugiendas Cenſurarum notas ſibi utile & commodum foret) inter ipſos fovendæ Presbyteros; quorum aliquos ſaltem, apud Cretenſes, ante conſcriptam hanc Epiſtolam, fuiſſe, ex omni parte pro confeſſo habetur. Neque enim adeo quiſquam eſt imperii patiens ut cuipiam, ſeſe, Authoritate non munito indubitatu, lubens ſubmittat; nec ullum forte hominum Genus, quo jure quave injuria, acrius Privilegia, quam Gens Eccleſiaſtica, nonnullis videtur, ſua defendere. Interea hujuſmodi diſputationes & diſſidia, uti, nullo non ævo, in gravia fideles deduxerunt diſcrimina; ita, imbellem naſcentis Eccleſiæ ſtatum indubitate adeo perturbaſſent, ut vel in ipſis incunabulis, pene dixerim, intercidiſſet.

Atque hoc quidem Argumentum non parum torquet ipſum Calvinum, qui aliter non reſpondet, quam *Tito* hæc non permitti, ut *ſolus* poſſit hæc omnia, ſed ut in adminiſtranda Eccleſia, & Electionibus Epiſcoporum habendis, Præſidis tantum, & *Moderatoris* vicem ſuſtineret.

Sed ubinam, obſecro, in hac Epiſtola, vel alibi, Collegii Presbyteralis conſilium Tito, ut Officio rite defungeretur, ex vi præcepti *neceſſarium* fuiſſe traditur? Forſitan hoc & ipſi videretur *expedire*, prout aliis poſtea, in bonum Eccleſiæ: ſed in explicationibus poſtulamus non quid interpreti, ſed quid Apoſtolo placuerit. Quamvis neque in rem multum faceret ſi, vel gratis, ſupponamus Conſilium Presbyterii adhibitum fuiſſe. Aliud enim eſt Jus, aliud Conſilium dare: Hoc nonnunquam rogati, hoc amici ſemper, imo & boni ſervi, modo humilis & fidelis; Illud jubentis, Magiſtratus

munus eſt ; *non equidem quaſi dominantis in Clerum Domini, ſicut Reges Gentium ; ſed paſcentis Gregem*, cui præſit, *tanquam Exemplar*, ſuadente alibi Apoſtolo, *non contemnendam*.

Atqui inſtituta meliori verborum interpretatione plenius conſtabit Quinam fuerint hi Presbyteri quos Titum oportuit κατὰ πόλιν καταστῆσαι. Si enim κατὰ πόλιν non, ut aliqui, *Oppidatim* ; ſed, *per ſingulas Civitates*, ut, bona cum Bezæ venia, rectius exponamus ; non ii inferioris Ordinis Sacerdotes, ſed Paſtores potius Epiſcopali Juriſdictione præditi videbuntur ; communi Eccleſiarum uſu, immediate ſubſequente, inſtituto huic adeo laudabili tam lucem afferente quam ſtabilimentum.

Nota ſiquidem fuit Eccleſiæ Primitivæ ſingulis Civitatibus Epiſcopum præficiendi Conſuetudo ; qui, prout res poſtularet, aucto fidelium numero, in ſui ſubſidium Sacerdotes conſtituit, qui, una cum ipſo, Civitatis, vicinorumque Oppidorum curam gererent : Totaque hæc, cui vel per ſe, vel per Presbyteros deſignatos Epiſcopus inſerviebat, Regio, in ejuſdem continuo ceſſit Provinciam. Exinde in Presbyteranos proprium merito reſiliet Argumentum quo ſtabilitam contendunt Paſtorum æqualitatem ; ex eo ſcilicet quod qui hic Presbyteri, ſubinde, Epiſcopi nominentur. Pari enim, certe ; imo, poſitis quæ ſupra, meliori jure, inferri poterit, hos qui latiori ſenſu Presbyteri dicuntur ; ſtrictiori, rectius Epiſcopos fuiſſe ; quia eo nomine paulo poſt ſequenti commate inſigniuntur. Neque dicto Argumento perperam ſuffragari videbitur Chryſoſtomus in locum, dum egregiam Pauli in Tito fiduciam exinde omnibus ſatis probatam aſſerit, quoniam

tot illi Episcoporum ab Apostolo creditum fuerat Judicium. Οὐκ ἄν, ait ille, πάντων ὑπονοίαν εἶναι ἐπιτρέψειν ἃ μὴ ἀφόδευε ἡ πόλις.

Neque vero rem novam & Tito prius ingnitam, hic, præcipit Apostolus; sed ea per literas repetit, quæ, de constituendis per Civitates Episcopis coram mandaverat. Ideoque multum sese & fusiorem exhibet in recensendis Virtutibus quas Episcopi Dignitas postulat, tum Personæ Illius tum Administrationis Illi demandatæ, ratione.

Tanti enim interest Episcopi Provinciam summa administrari Fide, Animoq; divini muneris capaci; ut moneri plus justo haud possint, Quicunque Antistites Ecclesiis præficiendi potestatem habeant, quo subactissima versentur curâ in iis deligendis, quorum & Dotes & Mores, & Eruditio sacro non sint impares Officio. Expectandum enim erat (quales hominum sunt mores) cum eo sit in Honore Episcopalis Dignitas, ut vel Dominii appetitus, vel Lucri turpis intuitus, nisi sedulo caveretur, Plures in spem excitaret Ambitus, quos aut spe forsitan demerita, aut saltem minores tanto Officio virtutes, non sine magno Ecclesiæ detrimento, ad ejusdem gubernacula admoveri paterentur.

Et Primò quidem postulat Apostolus ut sit ἀνέγκλητος, id est, ab omni crimine immunis quod aut Hortationibus in Docendo, aut Authoritati in Regendo prorsus detrahat. Non quod hac Voce virum designet nulli omnino culpæ affinem; id enim lapsæ naturæ imbecillis conditio non patitur; sed quod sit Boni Nominis & Famæ, atq; Vitæ adeo inculpabilis ut nemo possit eum flagitii merito accusare, aut in judicium vocare, aut κατήγορος, seu Criminis notorii quod supplicium meretur

retur, labem maculamq; inurere: Eosq; porro speciali jure sancto hoc ab Officio arcendos admonet, qui aut in libidinem nimis proclives impudica contraxerint matrimonia, aut omissa familiarum cura, filiis neglexerint, seu Fidei necessitatem, seu virtutum exempla, seu Obedientiæ præstandæ partes inserere & inculcare.

In prohibendis igitur, quæ Episcopo de decori forent, vitiis, non parcum se exhibet Apostolus, argumento a Dignitate desumpto, in quantum sit *Dei Dispensator*, seu OEconomus, qui, Dei vice, curam habet Domus Dei: Et quemadmodum male audiret, vel inter homines, si quis probrosum, & fœdi nominis OEconomum ad partes suas deligeret obeundas; ita longe profecto indignius foret Dei Familiæ tales imponi Præfectos, qui Dispensatorum munere male fungendo, & Verbum Domini & Dei Mysteria vulgi blasphemiis exponerent; *quoniam Ministri sunt Christi & Dispensatores Mysteriorum Dei*: Mala vero Dispensatoris Fama atq; Æstimatio suum Domino dedecus semper intorqueat.

Non vult itaq; Apostolus *superbum*, aut animi præfracti, & sibi nimium placentis; non *Iracundum*, qui animi impetu cito nimis efferatur: Levis enim est & impotentis ingenii cito Iram concipere; conceptam diu fovere, difficilis & duri. E quibus altera mentis dispositio venientem prohibet gregem, altera collectum dissipat, utraq; in Ecclesia Odia, & dissidia; mox pessimum pestis genus, hæreses gignerat & sustentat.

Non Vinosum, aut compotationibus deditum, aut jurgiis & conviciis pugnivve; quæ, ut temulentiam plerumq; sequuntur, ita, ex consuetudine, per Græciam proximosq; Insulas, hoc Vitium adeo universim,

sim invaluerat, ut merito verendum foret ne morum affinitate corruptus Pastor, & Fidei Christianæ, & Officio labem aspergeret.

Non Avarum, aut turpi quæstus faciendi ratione divitias corradentem; sed *Hospitalem, bonorum amantem, temperantem, justum, pium, continentem.* Ea nempe animi benignitate vult esse Pastorem, ut sponte accedentes etiam opportune se venisse intelligant; præ modestia recedere pertimescentes ultro advocentur. Ea mentis sobrietate & prudentia, ut nunquam plus debito emotus, aut, quasi nimio spirituum æstu tumultuentus, temerario quid vel agat vel loquatur. Ea juris æqui distributione, ea in divino cultu pietate imbutum, ut felicis animi temperie, tam hominibus quam Deo gratus utrisque possit placere. Tot denique virtutum ex Dei gratia congerie ditatum, ut seipsum possideat contineatq; *Tenacem fidelis sermonis quæ est secundum doctrinam, ut possit & exhortari doctrina sana, & contradicentes convincere.*

Ex dictis constat superesse, & speciales & difficiliores Episcoporum partes, *Docendi* scilicet *munera* & *Corrigendi*, quibus ad Ecclesiæ ædificationem & regimen exercendis, inculpatæ vitæ probitas & Egregia tot virtutum ornamenta viam sternere & munire destinantur.

Quod ad Antistitem ipsum spectat, Fidei oportet esse tenacissimum; quod ad Gregem attinet, in erudiendo populo indefessum; Potentiorum blandiis, minisve, pariter immotum; seu pacato, seu turbato atq; etiam adverso reipublicæ statu nec lætum, nec conterritum. *Ut potens sit exhortari*, sive in exhortando vehemens, *in doctrina sana*, hoc est, sanos efficientem; *& contradicentes convincat*, seu potius

potius falsitatis arguat. Necesse enim est ut Aliqui vel Exhortatione in prosperis rebus, vel Consolatione in adversis semper indigeant; cum Alii, ingenio pertinaciori, nisi argumentis validioribus, & manifestæ vi veritatis constricti, Evangelii legibus sese non submittent. *Hic*, si ne hoc quidem pacto in ordinem se redigi patiantur; si *vaniloqui*, si *seductores* evaserint, atque id totum temporis quod precibus, scripturarum lectioni, divinisq; Officiis debuit impendi, vel in vanis disceptationibus, futilibusve serendis colloquiis absumpserint; vel in seducendis ignaris, pauperibus, rudibus, quibus propter imperitiam fraudes & *fabulæ* de facili imponantur; *Obstruendum esse Os*, id est silentium indici debere, denuntiat Apostolus; Titumque Eo ipso, Doctrinæ Judicem constituit, eandem approbandi, vel reprobandi, Authoritate instructum.

Demum, si *pollutis eorum mentibus & conscientia*, quo apertius convicti Eo fiant petulantiores; si, crescente malitia & in contumaciam excurrente, usque altius intumuerint, Disciplinæ severioris animadversione plectendos admonet Apostolus, ut a saniore Christianorum corpore, *abscindantur*. ἀποτομίας, ait, ἀποτέμνω; verbo a medicis seu Chirurgis desumpto, qui emortuam aut excrescentem in vulneribus carnem resecant donec ad vivum perveniatur, ne partes corporis sinceriores eadem putredine inficiantur. Quo in sensu etiam illud, in quinto Epistolæ ad Galatas, usurpatur; *Utinam abscindantur qui vos conturbant!*

Varia, quippe, methodo, pro ingeniorum varietate, in reducendis ad Fidei morumque sanitatem erat elaborandum: Quoniam hortationibus & mansuetudine, mitiores; acerrima reprehensione, & si

opus

opus fuerit, vel Abscissione præfractæ indolis pertinaciores in relictam salutis viam sunt revocandi. Neque enim cum protervis & indomitis eo agendum est modo, quo cum mansuetis & docilibus. In his instruendis omnis adhibenda est lenitas; protervis autem, & contumacibus asperior manus quæ pertinaciam frangat penitus, quam mitior benignitas nequit emollire.

Et eam certe fuisse apud Cretenses *Judaizantium* indolem plus satis constat, ex eo, quod Teste Apostolo, *incapaces erant bonarum actionum quia imperfuasibiles*. Nempe vel Mosaicæ legis ritibus nimium addicti per eam sperabant salutem ex merito consequi; vel ex Fidei imbecillitate *inepti erant ad opus aliquod Deo gratum præstandum*; vel, quod eorum infelicitati non minimum addidit, Ingenii adeo pertinacis fuerant & præfracti, ut nullis argumentis & rationibus auscultantes *protervitati judiciorum suorum se totos dederint*. Hæc mala cujuscunque statum reddunt, si cum mere philosophantibus loquimur, miserabilem; si cum Christianis, Apostolo Auctore, *abominabilem*. At his tamen efficax, pro infinita sua misericordia, Remedium adhibuit Deus, qui Tito Præceptorem Paulum, & Titum Ecclesiis dederit Præfectum. Quibus enim malis non potuit mederi Hujusce in docendo, Illius in regendo, utrinque pariter admota Pastoralis Authoritas.

Allevate ergo tandem oculos, Fratres dilectissimi, ad augusta Patrum subsellia; allevate oculos, & ornatissimæ, quam nobis exhibuit Apostolus picturæ, Pastorem verum ex omni parte referentis, vivas Deo gratulabundi, suspicite Exemplaria! seu potius, favete linguæ pene deficienti, Vos, dudum id agentis, ultro exhortantis.

Fieri non potuit, nisi multum me tam rerum humanarum, quam animorum, Conditio fefellerit, quin dum Paulum in præficiendis Cretensium Genti Episcopis *Titum* suum ad omne officium, uti diximus, instruxisse audivistis; Vos *Nostrum* etiam *Metropolitanum*, absentem licet, ob oculos continuo posueritis; quem vel Vicarias olim in Ecclesia agentem partes, laboriosa in pascendo grege industria, in pauperibus sublevandis profusa Charitas, nullisque non Ecclesiæ seu periculis, seu necessitatibus sedulo invigilans Prudentia, in Dignissimum totius Ecclesiæ Primatem jam tum erudire non destiterant; talemque nobis quotidie præstare perguat qualem alii se futures tantum pollicentur.

Dum *inculpabilis* in Prælato *Vitæ* institutum, dum requisitas *benignitatis*, *temperantiæ*, *justitiæ*, *pietatis* dotes, auscultantibus exponerem; ut extemplo vestrorum omnium oculi in percurrenda venerabili sanctorum Patrum corona versabantur! in uno aliquo, utcunque cupientes, hærere nescii, ab Aliis in Alios protinus avocati.

Vel *Angelorum*, in illis, *linguæ* frustra non exquiremus, in exhortando suaves & vehementes; in *redarguendo* & *convincendo*, non Pauli nervos; non, in regendo, temperatam mansuetudine severitatem.

Tenacem, me, *fidei servandi*, qui est *secundum doctrinam* prædicente Episcopum. Quotusquisque eorum est qui, si hic loci pro modestia liceret, non illico insurgeret, seque pro Regina, pro patriæ Legibus, pro Fide, vel mori non imparatum profiteretur? Deo gratulabundi, lubricite Exemplaria! seu potius lavate lingua pene deficientia, Vos, dubium id agentes, ultro exhortantis.

Ut per facta dictis conflet fides; spoliatum, his de Causis, aut proscriptum recuperis? aut, quod miserabilius, juratorum Reformati Nominis Hostium insidiis, in vinculis coactum? Non necesse est, adhuc, e vicina nobis insula Mitratos Confessores fidos in Testes advocare, superstant e notis, Deo gratias! etiamnum Ecclesiæ, Venerandi Senes, qui experti nos edoceant, moneantque instanter, quousque Papisticæ Crudelitatis rabies, cum par votis aulisque nefarius accreverit potestas, efferatur; quantisque nos omnes, sanctamque nostram Ecclesiam, Gloriosissimi Principis, Reginarumque pientissimarum usus ministerio, mirabili providentia, jam proximos, periculis eripuit Deus.

Hinc itaque, postquam Reformatorum trans mare Fratrum, non unius tantum gentis, numerosa Cohors, hinc, dudum mitere lapsa est; inde, constanti martyrio coronata; ad exigendum, eliminandumque hinc Regno penitus, His elatum successibus Papismum, Regali præsidio superbientem, nostroque jam tum sanguini propius inhiantem, conjuncta stabilique virtute viam straviisse a Deo misericorditer est concessum. Et usque, precor, avertat Deus iste bonus, qui toties Gentem hanc pariter ac Ecclesiam ab ista Tyrannide liberavit, ne sub quavis postliminii specie, grassandi recuperet potestatem!

Ibit in fecula, sacris notandus in fastis, ille dies (nec elabetur de facili Civilibus) quo, Romanæ devota fœditati chara capita, pro Tribunali dubio, Res Ecclesiæ Regnique timui labantes, sustinuere fortiter, lætoque Regno pariter & Ecclesiæ, Triumphus refulsit.

Quæ, tum, Patriciorum acclamationes Equitumque! Quæ, tum, effluentis Populi vociferationes! non fida ſemper Rerum bene geſtarum indicia; ſed populi bene ſemper volentis, &, ſi quando, non ex ſe iniqui; nec, niſi per quandam recti ſpeciem deceptí, aut in aras aut focos inſanientis.

Excuſatum me habete, obſecro, Patres optimi; ne Adulationi tribuatur quod reticere iniquum eſt: Eccleſiæ enim Dei intereſt ut de vobis gloriemur; ſeu potius, (verecundia veſtra & pietate ſermonem corrigentibus) de Dei Gratia in vobis emicante.

Eccleſiæ Dei intereſt ut æternum vivat iſtorum Diſcriminum memoria; in quibus, laudabili inter Epiſcopos & Presbyteros, Optimates, ipſumque Populum, contentione, acriter decertatum eſt, utrum in ſervanda Religioni Fide, Populo Libertate, ſacræque, tandem, Annæ Majeſtati Corona, per varias machinationes tantum non direpta, illi conſtantius præirent, illi obnixius inſequerentur. Ita nec ſiquando in ſimilia etiamnum (quod abſit!) ingratæ Peccata Gentis nos reduxerint Pericula, defuturos & vobis, Patres, auſim ſpondere, ſiquid auguror, Filiolos qui veleandem, veſtris ſub Auſpiciis, Arenam impavidi, alacreſque conculcabunt.

Sepeliatur, extemplo, omnis Alia anteactorum, ſi fieri poſſit, Vos obteſtor, Viri, Patres, Fratreſque, diſſidiorum Recordatio; niſi eo, ut vel minima renovandorum, illico, rejiciatur Anſa; ſopiendorum nulla non arripiatur.

Pacis vias, hoc pacto, Vobis, Patres venerandi, docentibus; Nobis iis inſiſtendi accreſcat Gloria! ſic, a ſanctioris inſtituto Religionis ſiquid paululum deflexerit, Id *Vobis* dabitur *Corrigere*; ſiquid *deeſſe* videatur, Id *Nobis Impetrare*. Sic Apoſtolicum

 Epiſ-

Epiſcopalis Officii Munus vel in remotiſſimas Regiones, Imperium qua in novo orbe pateat Britannicum, Vobis apud Reginam pientiſſimam mediantibus, late protendatur!

Parum profecto, heu nimis! ex tam longinquo indies petita valebit unquam Epiſcopi Authoritas, apud Populos, utcunque benevolos, bonarum tamen artium rudes, diſciplinæ ſanctioris inſolentes; Quos Ethnicorum contagioſa, hinc, circundat Barbaries; ſubdola, inde Romanenſium ambit ſacrificulorum vafrities: Præſertim, ubigentium, a primis Chriſtianiſmi initiis Apoſtolicum Confirmationis Ritum deſiderari ſemper novimus, nunquam miniſtrari: Ubi ſiquid Paſtori, Populove, contingat adverſi; amicum & potens, tam pietate & ſapientia quam dignitate venerandi, Patris aberit Auxilium. Ubi ſi Paſtorem vel in Navigio, vel poſt ſuperata maris pericula, mori contigerit; Diſſipato gregi expectandus erit qui ab Alio Orbe poſtuletur Sacerdos.

Præſentis Hæc omnia Antiſtitis efflagitant ſubſidium; quo ſine, niſi locorum apud illas gentes morumque non inexpertum fefellerint auguria, dignos Evangelio progreſſus fruſtra ſumus exoptaturi.

Meliora autem Dei Familiæ ſperare liceat! Noſtræ, Fratrumque longe diſſitorum, apud Vos; Veſtræ, apud Reginam Optimam volentemque valeant Preces! Adjiciatur, quod vel Annæ deeſſe videtur, in cumulum Gloriæ; Conſecrandos a Vobis Epiſcoposdeſignandi Laus, qui regendæ, per longinquas adeo Nationes, Eccleſiæ conſtituti, tum Fidelibus invigilent, tum propagandæ ulterius Fidei Prudentia Zeloque inſerviant!

Sic

sic Utrosque digni Ordine ad Finem Dei uberrima proferetur Fructus; tandemque cum advenerit Dominus Vinea, Operario cuique mercedem rebuet suam.

Illi, cum Patre, & Spiritu Sancto, Uni Vero & Æterno Deo, sit laus & gloria in sæcula sæculorum. *Amen.*

BRITISH MUSEUM

FINIS.

Meliora autem Deus in meliora dirigat! Nostra, Patrumque longe dissitorum, apud Vos; Vestra, apud Reginam Optimam volentes nolentes valeant Preces! Adjiciatur, quod vel Annæ decet vidisse, in cumulum Gloriæ; Conjecrandos a Vobis Episcoposdeli gnandi Laus, qui reverendæ per longinquas adeo Nationes Ecclesiæ cor fuerint, tum Prælibus invigilent, tum propagandæ ulterius Fidei Primordia Zelo pio inserviant!

Sic